



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 32. Eremita fanaticus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.  
A. C. 1386.

c. 3.  
Bonfin. dec.  
3. l. 2. p. 374.

Sigismundus cum exercitu Bohemorum sub ditione sui fratris viventium, atque cum multis Hungariæ Superioris Proceribus accelerabat iter. Budæ optime excepto suum studium profitebatur circumjecta regio trepidante Hervartio: per quem emissa e carcere Maria se ad Sigismundum contulit. Die Pentecostes 10 Junii an. 1386 in urbe Alba Regali agebatur nationis conventus generalis, in quo Maria se omne suum jus ad regnum Sigismundo sponso suo cedere palam declarabat. Is proin ut Rex Hungariæ in templo S. Stephani per Archiepiscopum Strigoniensem solenniter est coronatus. Viginti habebat annos; ac regnavit quinquaginta.

§. XXXII.

*Eremita fanaticus.*

Rayn. 1386.  
n. 9. ex Gobel.

Papa Urbanus continenter hærebat Genuæ: quo quinta Martii an. 1386 quidam eremita Gallus cum famulis quatuor advenit equitans, & illius alloquium petebat, a Deo se missum perhibens. Postridie se Papæ stitit in longo vestitu atro; præterquam quod præstaret proceritate corporis, barbam promittens nigram, submissis oculis vultum præferens severum. Nescire se Latine loqui causatus, Gallice ajebat: Domine! venio daturus tibi notitiam

titiam e cælo haustam pro Ecclesiæ concordia. Quindecim jam annis in solitudine res divinas contemplatus Deo aperiente cognovi sanctum Patrem nostrum, Dominum Clementem Papam verum, te autem falsum esse. Summum igitur pontificatum abdica, ut Ecclesiæ concordiam renoves, tuæque saluti consulas! Tum Urbanus: Unde scis hoc tibi Deum significasse? Eremita se ad tormenta offerens dicebat multa, probabat nihil.

Papa hominem, ac duos ejus domesticos (nam reliqui duo aufugerant) in carcerem missos separatim subjici quæstioni voluit: ac Eremita monitionem illam potius a dæmone profectam falsus est. Videbatur plectendus ut violator majestatis. At Præsules Galli, qui Urbanum agnoscebant Papam, exponebant, si homo mactaretur, cognatos, amicosque suos in Francia manentes forsan haud melius tractatum iri: quia Rex Galliæ hunc Eremitam singulari studio prosequeretur. Itaque Papa inito consilio satis habuit eum ad palinodiam publicam adjigere. Hoc fine prima jejunii verni Dominica undecima Martii abrasa barba ductus in templum fuit; ubi post Papæ sacrum, & sermonem omnia, quæ contra illum dixerat, contenta voce revocabat, non dari alium Papam verum con-

Sæcul. XIV. fitens. Post aliquot dies in Franciam  
A. C. 1386. revertit.

## §. XXXIII.

*Cardinales captivi enecantur.*

*Rayn. n. 10.  
ex Gobel.*

*Th. Niem.  
c. 61.  
Vitæ p. 515  
1385.  
Sup. l. 97.  
S. 55.*

Interim captivos Cardinales liberaturi  
erant amici sui. Noctu intrabant Pa-  
pæ palatium, se pluribus aliis augendos  
rati ad carcerem effringendum. At Pa-  
dæ domesticis strepitu expergefactis, &  
custodiis arma capientibus conjuratos in  
fugam avertit metus. Paucis post die-  
bus captum est consilium veneno tollen-  
di Papæ. Sed hac de re suspecti vincu-  
lis mandati sunt: & cum Urbanus in con-  
spirationis authores sedulo inquireret, au-  
fugiebant Cardinales duo, Pilus Pratinus  
Ravennæ Archiepiscopus, & Galiotus  
Tarlatus Petramalæus. Ob fugam sus-  
pecti suam denique Avenionem ad Clemen-  
tem advenerunt; Pilus Idibus Juniis an.  
1387; Galiotus tertio Nonas Majas an.  
1388. Ille Ticinum transiens, ut Urba-  
no ægre faceret, ab eo traditum sibi pe-  
tasum rubrum in platea publice combus-  
sit: & Clemens pristinam eorum promo-  
tionem nihili faciens, ambos renunciavit  
Cardinales, Pilum ut Presbyterum, Ga-  
liotum ut Diaconum.

*Rayn. n. 11.* Captivis e Cardinalibus unum, scili-  
cet Adamum Estonium de S. Cæcilia Pa-  
pa